


DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda in Scholis Medicorum die Jovis quartâ Maii
M. DCC. XLI.

M. ROBERTO-HUBERTO LINGUET, rei Herbariæ Profeſſore, Doctore Medico, Præſide.

An Vinum Remenſe, ut ſuave, ſic ſalubre?

I.



VALETUDINEM non ſolum ut reſtituat, ſed ut ſtantem tueatur, nata medicina eſt. Avertit Morbos, qui διαιτητικης præcepta ſequitur, qui repudiat, arceſſit. Magno luitur, quod contra medicinam auſum fuerit, ſed, proh dolor! tum demum ſubit cura valetudinis, cum jam nulla eſt. Tunc inani deſiderio angitur animus. Evolat enim illa celeriter, at elapſam revocare, hoc opus, hic labor eſt. Multis quotidie malis natura ulciſcitur miſeros mortales, qui dediti gulæ, & abdomini cæco, mancipati, longo cruciatu rependunt brevem uſuram voluptatis. Cum ſævit dolor, quid putas eos mereri velle, ut res ipſis in integrum redeat? Depaſcitur medullas lues, & lento verbere fatigat tortor in venis

habitans, eò acriùs, quod triſtibus utendum remediis. Hinc enim gula delibuta voluptatibus radenda, & excrucianda amaris poculis, quæ deterrimâ comparatione faſtidium invehunt, admonentque deliciarum, quibus hauſtu longo aſſueverant. Hos cruciatus effugeris,ſi crebro rerum non naturalium uſu non peccaveris. At in potando vino plærumque peccatur. Huc lubrica fert via. Eligantur ergo vina quæ ſtomacho inſtilles, atque inter plurima genera, hoc aſſume potiſſimùm, quod & palato placeat, & faveat ſtomacho, quod benigno fomite concoquat cibos, quod ſerpens molliter ſuam liquoribus det profluentiam, totam denique corporis humani temperiem adjuvet.

I I.

INTER varios affectus, quibus jactatur animus, nullus mærore lethalior. In hoc poſita ſanitas eſt, ſi æquis inter ſe motibus fluida ſolidaque conſentiant, quæ ſi diſſideant peſſum it valetudo, at hoc diſſidii genus invehit mæror. Cor contrahitur quaſi vinculo conſtrictum. Tenuis ac debilis Arteriarum pulſus. Ergo caloris parum. Toto corpore perfidum frigus. Pallet facies. Torpent membra. Aut exareſcunt ſpiritus animales, aut parcè dimanant. Hebetatur lethali veterno ciborum appetentia. Vitalium functionum officina ceſſat. Sic affectus aliquis languet inertiâ. Ita cogitat, ut cogitare ſe vix ſentiat, non movetur negotiis. Nullâ voluptate excitatur. Somnium hominis, non homo. Quâ vi expergiſcetur? Quânam arte reviviſcet vir propè emortuus? Si ſpiritum afflaveris. Si corpus & animam in concordiam reduxeris. Quippe tam arcta eſt inter utrumque neceſſitudo, ut neutrum laboret, quin ad alterum perveniat dolor. Alterum igitur alterius remediis ſanatur. Excitandus igitur animus quaſi veterno oppreſſus. Excutienda illa quaſi ærugo mæroris, ut qui conſederat vitalium functionum curſus, reſtituatur. Ad hoc requiritur ut homo erigat ipſe ſe. Ut evolet ad amicos, ut eorum ſe ſe colloquio oblectet, ut cibis & poculis invitet ſe ſe communibus. Tum paulatim redeunt in integrum motus animales. Panditur liberior ſpiritibus via. Lætitia effloreſcit. Ad bonam frugem ſanitas perducitur. Sed in his conviviis quo te vino proluas, nihil referre ne credideris. Hoc vini genus præ cæteris elige, quod & ſuavitatis plurimùm habet, & acuere ingenium, & ſanguinem ungere ſalubriore ſucco, placidam deniquè & amicam valetudini temperiem invehere maximè poteſt. Exiſtet autem integra valetudo, ſi & ritè concoquantur cibi & facili lapſu ſanguis circumfluat, & in omnes corporis partes ſuccus ille nutritius dividatur.

I I I.

NIHIL eſt quod curarum tædia depellat ſuavius quam menſa ſplendens epulis & poculis. Hinc convivis arridet jucundum & ſalubre ſpectaculum. Neque multiplex illa ciborum copia tantoperè timenda eſt iis qui valetudini ſuæ conſultum volunt. Sæpè ſtomacho languorem addit ciborum tenor æquabilis : at varietate excitatus concipit vires, fitque ad concoquendum robuſtior. Sed palato nihil amicum magis, quam vinum. Sine vino friget menſa. Habitant deliciæ in poculis. Hinc ſtillat convivarum lætitia. Hinc convivii nitet elegentia. Neque ego latices omnes ad menſæ imperium voco. Hauriant ſcilicet populi Boreales Zithum ſuum, quod quidem nutrimentum habet, ſed quod incuſſum Cerebro ebrietatem implicat gravem & operoſæ molis. Expreſſum è

Malis ſuccum jactitet Normannia. Vino debetur regnum. At in vino tamen delectus eſt habendus, ſi quis & ſapori conſulat & ſanitati. Valeant Hiſpana & *Frontiniaca* quorum æſtu viſcera torrentur. Valeant Aureliana & quæcumque craſſiore naturâ ſtomachum prægravant. Inter Gallicana vina certant inter ſe de principatu Campanum, Burgundumque, par egregium, & multis jam bellis nobilitatum. Aſſurgit tamen Burgundum paulo ferociùs, quam decet, ſuntque ſibi ſpiritus paulo altiores, dum id ſibi ſatis decorum credere deberet, quod pari gradu cum Campano ſederet. Neque Campanum abnueret fratrem ſibi Burgundum aſciſcere, niſi patrimonium ſibi ſuum, ſaporis ſcilicet & ſalubritatis laudem videret ab æmulo per injuriam eripi.

I V.

ID quondàm Campano vino, quaſi per veniam, ſuperbè concedebat Muſa Burgundica, ut ſecundas menſas ornaret. Sed illa nonne ſentiebat à ſe adversùs ſe ipſam tela miniſtrari? Etvero ubi primùm exoritur Campani nitida lux, emicat lætitia. Jam in tergendis ſcyphis fervet famulorum manus, ne quid Burgundæ fæcis reſederit. Dicas inſtaurari convivium. Volitant fulgurantque paſſim ingeniorum igniculi. Jam Burgundum conclamatum eſt, ſepultum eſt, & à convivis ſubindè à triclinio exeuntibus ejicitur, extillatur, exterminatur. Neque Campanum dixeris turbulentum liquorem, qui diſſidium ubiquè ac diſcordiam ferat. Imo linguæ papillas lenitet pungunt & feriunt ipſius aculei, ut nihil palato acceptiùs, ſtomacho nihil optabiliùs. Sanguinem inter & varios humores tranquilla pax, ubi conſentiunt inter ſe, neque quiſquam ex ipſis dominatur. Hanc autem ſocietatem imprimis fovet Campanum. Cum ex principiis mirè concordibus conſtet, nulla in ipſo belli ſemina. Alimenta commodè diſſolvit. E cibis chylum elicit optimum. Neque nimis præcipiti curſu delabitur ad ſecretionis meatus. Non celerius quam expedit, lymham deponit, unde Capitis gravedo, Catharri aut articularis humor exoriretur. Non deſidet diutius undè flatus, & alui pigritia, morborum plurimorum ferax, exiſteret. Has dotes quis non ad Syllerianum, Aiacum, Pierium, Verzenaicum, Altovillareum vina, cæteraque, quibus enumerandis forem longior, pertinere fateatur? Hæc neque craſſiora ſunt neque fervidiora. Imo ſalubria maximè ex quo præſertim impenſiore curâ confici cæpêre. Quin etiam vel Burgundus ipſe, totus invidiâ tumens, & conflatus ex falſis opinionibus, Campanum tamen dum epotat, colore & ſapore deceptus, egregie dejerat Nectar merum eſſe, & in Burgundiâ natum. Summitte igitur animos, ò Burgunde, & tecum ſatis benignè agi exiſtimes, ſi Campano comes additus ſteteris in menſâ, & per veniam, æquo jure & pari dignitate.

V.

AT ecce Burgundum civem aliquis paulo levior admonet erroris, Campanos eſſe ſuccos illos quibus aſtupet. Enim vero noſter abjicit arma, ſcyphum deponit, bibere ſibi nefas eſſe, ſubeſſe inſidias, latere in iſto vino vim perfidam, quæ tremorem artubus incutiat, & arthritidem inferat. O mentem inconſultam! Dum vini patriam genuſque ignoraret, amica omnia, omnia ſalubria, qui niſi ereptus eſſet felix error, concocti fuiſſent egregiè cibi. Apertum ac proclive patuiſſet humoribus iter, nullus obex, nihil moræ aut impedimenti

uſquam ; omnibus denique partibus Sua quies, Sua ſalubritas. Sed amore patriæ ſtatim occupatus animus, Campanum reſpuit, id inſalubre exclamat, id venenum & peſtem ſanguine viperino triſtiorem. Verum tu, Alumne Burgundiæ, an id ignoras, id experientiâ compertum eſſe, nuſquam alibi minorem eſſe, quam in Campaniâ, arthriticorum numerum ? Quid enim tandem eſt arthritis ? Pungens in articulis dolor lymphæ ſpiſſitudine ingeneratus. Hic autem eſt hujus limphæ uſus, ut lubricam facilitatem conciliet, ut Cartilaginum, quibus oſſium capita in juncturis veſtiuntur, attritum exſiccationemque prohibeat. Sua igitur lymphæ ſervanda eſt fluiditas. Ad id autem quid commodius, quam liquor à craſſiore fæce & concretione expeditus. Quâ dote Campanum vinum commendatur. Nulli in Campaniâ arthritici, aut oppidò pauci. Valentes incolæ & longævi. Podagricum interroga, quo ſe vino invitare ſoleat, ille ſtatim, præter Burgundum, nullo. Ubi convaluit, Campano abſtinet, redit tamen aliquando poſt Podagra. Non igitur illam Campanum arceſſiit, ſed Burgundi improbitas. Unde colligeret Campanus aliquis : næ ille, ſi Campano fuiſſet uſus, podagrâ vacaret. Sed ne cum Burgundo cive rixas contrahamus, id nobis concludere ſatis ſit.

Ergo Vinum Remenſe ut ſuave, ſic ſalubre.

Proponebat Pariſiis, CAROLUS-FRANCISCUS BOUTIGNY DESPREAUX, Ambianenſis, Baccalaureus Medicus, A.R.S.H. 1471, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.